

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1164

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Guy, Bayeux (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1248, 13 décembre

Lieu d'émission : Lyon

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent IV notifie à Guy (non cité), évêque de Bayeux, et à son chapitre, la lettre qu'il a adressée à l'abbé et aux religieux de Saint-Bénigne de Dijon, et dans laquelle il vient de confirmer l'acte de donation du monastère de Saint-Vigor-le-Grand à Jérenton, abbé de Saint-Bénigne, faite, en 1098, par le pape Urbain II dont le rescrit pontifical est cité en entier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCLXXV, t. 2, p. 96-98.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis decano et capitulo Baiocensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad instanciam abbatis et conventus monasterii Sancti Benigni Divionensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, tenorem litterarum felicis recordationis Urbani papæ, prædecessoris nostri, secundi, super facto monasterii Sancti Vigoris Baiocensis diocesis, fecerimus nostris litteris annotari, indemnitati vestrae ac Baiocensi ecclesiæ præsentium auctoritate cavemus ut per annotationem hujusmodi juri eorum in aliquo penitus non accrescat, et vobis, vel eidem ecclesiæ, nullum prorsus exinde præjudicium generetur. Tenor autem litterarum nostrarum, in quibus tenorem prædictum inseri fecimus, talis est : Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatи et conventui monasterii Sancti Benigni Divionensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Exigentibus vestrae devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possimus, favorabiliter exaudimus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, tenorem litterarum felicis recordationis Urbani papæ secundi, prædecessoris nostri, quas diligenter inspeximus, fecimus annotari, qui talis est : Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Jerentonii, Divionensi abbatи, salutem et apostolicam benedictionem. Quamvis ad æternum sufficere beatum monumentum quod Arvernilese, in auditu omnium, generale sanxit concilium, nequidem tamen perfectionis in hac parte paci desit monasticæ donum, quod tibi per manum nostram factum est ab fratre coepiscopo nostro Odone, venerabili Baiocensium præsule, nos iterum, ea qua possumus auctoritate, tibi successoribusque tuis inviolabile concedimus, manus propriæ subscriptione confirmamus, sigilli nostri suppositione roboramus, monasterium videlicet Sancti Vigoris cum decimis et appendiciis suis, cum presbitero et universis consuetudinibus suis, cum mediate (sic) tocius villæ et omnium ad eandem villam pertinentium tam in territorio et hominibus quam in ceteris quibuslibet redditibus, cum medietate mercati annualis quod fit ibi kalendis

novembbris ; et quicquid ad ecclesiam pertinebat quæ in eodem loco prius erat ; quatuor etiam burgenses cum terris et consuetudinibus suis ; et, ad Portum, pescatores cum terra in qua manent, et navi sua, et consuetudinibus ejus ; ecclesiam et plenam decimam de tota Chricavilla, cum terra et omnibus quæ ad ecclesiam pertinent ; et ecclesiam de Tor, et de Crusseio ; et ecclesiam de Olferes, et de Colgrino, cum plenis decimis et terris quæ ad ipsas ecclesias pertinent, cum presbiteris, et eorum terris, et universis consuetudinibus suis : hæc omnia tibi confirmamus in possessionem et tuæ ecclesiæ, ea ipsa libertate qua eas visus est idem episcopus possedisse, salva duntaxat reverencia et obedientia debita sibi et matrici ecclesiæ ; sepulturam etiam pontificum et canonicorum Baiocensium, juxta quod ejusdem pontificis continet decretum, decernimus et nos ibi fieri in perpetuum ; nec unquam locus ipse divellatur a tua vel successorum tuorum potestate, nec si contigerit ibi abbaciam fore ; quicquid etiam eidem loco indulgentia principum est vel erit collatum auctoritatis nostræ munimine fiat roboratum, videlicet plenaria libertas et omnium consuetudinum immunitas, ita ut qui se vel terram suam Sancto Benigno et Sancto Vigori tradiderit ab omni curiæ servicio liber existat. Confirmamus etiam tibi cotidiana quatuor asinorum onera de viridi ligno in nemore Verneio. Si qua sane ecclesiastica sæcularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam temere venire temptaverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat et, nisi resipuerit, in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Datum Laterani, pridie idus marcii, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo, inductione sexta, biennio post Arvernense concilium. Ego Urbanus, ecclesiæ catholice episcopus, subscripsi. Datum Lugduni, idibus novembbris, pontificatus nostri anno quinto. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cautionis infringere, vei el ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpsit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Lugduni, idibus decembris, pontificatus nostri quinto.